

## Obediencia A

Quid iniquius quam velle sibi obtemperare a minoribus et nolle obtemperare maioribus.

Augustinus de opere monachorum.

## Obediencia B

Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obediencie, nisi cum prohibuit ab ea re que non erat mala. Sola ibi obediencia tenet palmam sola ibi obediencia invenit penam.

Augustinus super Psalmos.

## Obediencia C

Obediencia non servili metu, sed caritatis affectu servanda est, non timore pene, sed amore iusticie.

Gregorius 12. moralium.

## Obediencia D

Obediencia sola virtus est que menti ceteras virtutes inserit incertasque custodit. Melior est obediencia quam victime obediencia victimis iure preponitur quia per victimas aliena caro, per obedienciam vero voluntas propria mactatur.

Gregorius libro 35. moralium tractans illud 1. Res.: Melior est obediencia quam victime et cetera.

## Obediencia E

Nec studium bone actionis, nec ocium sancte contemplacionis, nec lachrime penitentis extra Bethaniam esse potuerunt.

Bernardus de nova milicia.

## Obediencia F

Perfecta obedientia legem nescit terminis non artatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, et ad omne quod iungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi motum non considerans in infinitam libertatem extenditur.

Bernardus de precepto et dispensacione.

## Obediencia G

Melius est obedire Deo quam hominibus, et ipsis melius magistris quam discipulis, porro in magistris melius nostris quam extraneis, quibus autem melius constat obedire, ipsis proculdubio non obedire est detestabilis.

Ibidem.

## Obediencia H

Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.

Bernardus.

## Obediencia I

Non attendit verus obediens quale sit quod precipitur, hoc solo contentus quia precipitur.

Ibidem.

## Obediencia K

In ipsa obedientie via tibi fortasse aliqua dura et aspera occurrere possunt, ut accipias interdum precepta nonnulla que licet salubria sint minus tamen suavia videntur, hoc si moleste ceperis sustinere, si diiudicare prelatum, si murmurare in corde, eciam si exterius impleas quod iubetur; non est virtus paciencie, sed velamen malicie.

Bernardus sermone 22.

## Obediencia L

Quisquis aperte vel occulte satagit ut quod habet in voluntate hoc ei spiritualis pater iniungat ipse se seducit, et sibi quasi de obedientia blanditur, neque ipse in ea represso, sed magis ei prelati obedit.

Bernardus.

## Obediencia M

Non est dubium quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum.

Bernardus in sermone.

## Obediencia N

In obediendi ratione hec generalis regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis obediencia gravior quam prevaricacio gravior iudicetur et in facilioribus minusque onerosis contemptus damnabilior quam actus laudabilior estimetur.

Bernardus de precepto et dispensacione.

## Obediencia O

Solum censuerim fregisse votum, violasse propositum prevaricasse pactum, qui et preceptum contempserit et remedium, nam illum sane dico securum qui eciam si interdum obedire preterierit consilium non respuit penitencie.

Bernardus ibidem.

## Obediencia P

Si iubente seniore ut sileam verbum michi forte per oblivionem elabatur, reum me confiteor obedientie sed venialiter. Si ex contemptu sciens et deliberans sponte in verba prorupero et rupero silentii legem, prevaricatorem me constituto et criminaliter; et si impenitens persevero usque ad mortem, peccavi damnabiliter.

Bernardus de precepto et dispensacione.

## Obediencia Q

Optimum in moribus dixerim, qui in nullo prorsus resistat prioribus aut invidet paribus aut subiectis in superbia presit, prelati obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens, Deo devotus, magistris subditus, senioribus obediens, minoribus obtemperans, angelis placens, verbo utilis, corde humilis, omnibus mansuetus.

Bernardus super Cantica.

## Obediencia R

Multi denique sub preceptore quieti vivunt, quos si iugo absolvas videas non posse quiescere, nec se ullo modo equalibus servare innoxios, simpliciter ac sine querela inter fratres conversari, super fratres non solum inutiliter sed etiam insipienter et nequiter, minime quidem egentes magistro nec tamen idonei magisterio.

Bernardus super Cantica.

## Obediencia S

Nullo alio vicio tam precipitem diabolus monachum, pertrahit ac perducit ad mortem quam cum eum neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit diffinicionique confidere.

Iohannes Cassianus in collatione abbatis Moysi.

## Obediencia T

Unum atque idem inobediencie genus est vel propter operacionis instanciam, vel propter ocii desiderium senioris preterire mandatum, tamquam dispendiosum est pro somno quam pro vigilancia monasterii statuta convellere. Tantum denique est abbatis transire preceptum ut legas quantum si contempnas ut dormias.

In collatione Danielis abbatis.

## Obediencia U

Inobediencie morbus ex superbie tumore procedens sicut sanies exultere, sic ex superbia contemptus manat, hoc autem tribus modis mederi solet: videlicet emplastro, unguento et ferro, id est exempli boni operis verbo exhortacionis et disciplina correctionis. Cum enim ulcus non emittit per confessionem saniem vel ex commocione non promittit emendacionem, restat ut ferri recipiat incisionem, id est correctionem discipline.

Hugo de duodecim abusionibus.

## Obediencia X

Imponitur nomen obediencie precepto loco et facto ut designet quid precipitur monstret quod agitur, nomet locum in quo quis moratur, prima facilis, secunda gravis, tertia ad utramque se habet; leve est enim percipere sed grave est adimplere locus vero aliquando placet, aliquando displicet, placet quibusdam, non quia abundat fratribus sed quia piscibus, placet quia abundat famulis et fabulis, placet quia solus cuncta possidet, et sic fit ut nocetur obediencia, cum non sit; hanc obedienciam multi desiderant, ut extra obedienciam esse queant.

Hugo ibidem.

## Obediencia Y

Inobediencia est ex duricia mentis obstinate cui debeas imperanti nolle obtemperare.

Tullius.